Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

RÖPL.
73

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

[Vienna Austriae, H. Victor]

AD POTENTISSIMVM
VTRIVSQVE PANNONIAE
ac aliarum Prouintiarum Re/
gẽ FERDINANDVM e
Boëmis redeuntem,
Carmen congra/
tulatori/
um.
IANI Lucij Brassicani.

EIVSDEM aliquot Epigrammata.

AD LECTOREM

Deleat errores si quos incuria fudit,
Aequa litura meos, lector amice, rogo.

Olah

A M. N. MUZEUM KÖNYVTÁRA

Lamus cui viridis tribuit Bris Brassica nom

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

A MNM TÉZEUM KÖNYV-TÁRA

AD REVERENDVM D. NICOLAVM Olah Custodem Alben. ac Secretarium regium.

CVINAM debeo dedicare carmen?
Ab incude recens meum patrono?
Profecto tibi NICOLAE soli,
Qui mi continue facis benigne,
Quod si dignum erit approbatione,
Tantum magne tua, satis superq; est,
Non assis facio seueriores,
Censuras aliorum, & omne uirus,,
Quare perlegere hoc uelis poema,
Ineptum, fateor, nec eruditum,
Quandocunq; per ocium licebit.

Ianus Lucius
Brassicanus.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

AD POTENTISSIMVM VTRIVSQVE Pannoniæ, ac aliarum Prouintiarum Regem D. FERDINANDVM è Boëmis redeuntem carmen congratulatorium.

Expectate uenis tandem rex maxime regum,
Afflictis misere cupiens succurrere rebus,
Sic tibi contingat timidos Oriente subacto,
Debellare Getas, atq; ipsum ducere captum,
Regnatorem Asiæ, & uicto dare uincula ponto,
Danubius uastum uiolens qua currit in æquor,
Flumine septeno, magno cum murmure circum.
Expectate uenis tandem rex maxime regum,
Nuper enim sæuus supra caput astitit hostis,
Pannoniamq; ferox ferro populatus, & igne,
Pannoniam ubertate soli, populisq; potentem,
Alituum, pecudumq;, ferarumq; agmine multo,
Squamigeroq; grege, auriq;, argentiq; talentis.
Expectate uenis tandem rex maxime regum,
Nunc iterum insultans nobis noua bella lacessit,
Christigenasq; malis exercet pluribus, euheu,
Pronus in omne ruit scelus, atq; ante ora parentum,
Pignora chara necat, quin matris ab ubere natos,
Lactantes, teneroq; bonum succum ore trahentes,
Abstrahit, & curuo miseros transuerberat ense,
Integrosq; æui iuuenes perferre, patiq;,
Fanda, nefanda adigit, natas complexibus arctis,
Hærentes matrum rapit ad stuprumq;, laboresq;.

Expectate uenis tandem rex maxime regum,
Hoc experta malum tibi supplicat Hungara terra,
Terra ferax, populusq; ferox iam membra labore,
Assiduo fractus, dum regnis arcet auitis,
Immanes Turcas, primoq; à limite pellit,
Armatos equites cum uiribus irrumpentes,
Vt uelis æratis conscendere nauibus Istrum,
Amissasq; arces summa connixus opum ui,
Asserere, & genti tandem dare iura superbæ.
Expectate uenis tandem rex maxime regum,
Gratatur regina soror tua, numine dextro,
Te reducem, uiduo misere deserta cubili,
Atratas nec adhuc uestes, habitumq; lugubrem,
Deposuit, quoniam amissi stat cura mariti,
LVDVICI patria pro libertate perempti,
Quare te blandis precibus rogat optime princeps,
Coniugis ut miseram nunc mortem nolis inultam.
Expectate uenis tandem rex maxime regum,
Ne profugos equitare sinas per libera rura,
Hinc atq; inde Getas, te supplex Austria multum,
Obsecrat, imprimis studio te effusa uidendi,
Turba ruit circum, pulchræ de mœnibus urbis,
Quaq; datur clara uenientem uoce salutat,
Ingentesq; deo laudes, & carmina dicit,
Austriacas quod post decisa negotia ad oras,
Veneris, incolumi ualetudine, & auspicibus dijs.
Expectate uenis tandem rex maxime regum,
Muscoso subter pendentia fornice tecta,

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Danubius uitrearum, ait hæc, regnator aquarum,
Propexam dextra mulcens ad pectora barbam,
Tum liquidi ad terram destillant undiq; rores,
Hæc ait, Hungaricis fato rex debite terris,
Audacter conscende rates, nanq; ipse subibo,
Fortibus his humeris, & summa per æquora ducam,
Euxini leuis usq; ad inhospita littora ponti,
Tunc ego spumantes Turcarum sanguine fluctus,
Atq; ipsum fœde regem dare terga uidebo,
Non tamen effugiet prius hic uelocis equi ui,
Quã tibi promeritas cogatur pendere pœnas,
Dixit, & in gelidas iterum sese abdidit undas/
Expectate uenis tandem rex maxime regum,
Tum uero nymphas alacres lætasq; uideres,
Ad uirides celeri ripas contendere cursu,
Quarum quæ natu sic grandior incipit Istris,
Densæ humeris aliæ pendent narrantis ab ore,
Veridicos magnus nos Iupiter edere cantus,
Iussit, & hæc nostra cunctantem uoce monere,
O præstans animi iuuenis, rex maxime regum,
Euersorem Asiæ fore te uoluentibus annis,
Non obscura fides, tunc totum Carolus orbem,
Insubribus, Venetis, uictis Galloq; rebelli,
Pacatum reget augustus, terraq; mariq;,
Pax erit, obscuris discordia dira cauernis,
Multa gemens intus, ruptisq; erumpere claustris,
Nequicq̃ cupiens, semper conclusa manebit,
Ille reget populos qua flumine mergit Ibero,

Phœbus equos cursu functos, operisq; solutos,
At tu Pannonios genus intractabile bello,
Qua pulchris inuectus equis sol aureus exit,
Sub ditione tua per sæcula uictor habebis,
Tu modo rumpe moras, nec seghes differ in annos,
Sanguine, proh, uestro pollutam excindere gentem,
Atq; adeo cuncti quibus est concredita regni,
Pars quotacunq;, simul crudelem arcete tyrannum,
Quod si uos etiam contraria uellere signa,
Impauidosq; ultro caput obiectare periclis,
(Qua leuitate uir est asiaticus) experietur,
In patriam madida deuinctus tempora mitra,
Adcelerare fugam conabitur undiq; septus,
Semiuirisq;, spadouibus, & pauido comitatu,
Non tamen effugiet prius hic uelocis equi ui,
Quam uobis meritas cogatur pendere pœnas,
Quare agite horrisono diffundite classica cornu, &
Ite citi, capite arma uiri, nunc ipsa uocat res.
Hæc effata thoro uiridante resedit, at illam,
Excipiunt plausu manuumq; pedumq; sorores,
Expectate uenis tandem rex maxime regum,
Ducit in apricis tibi collibus uua colorem,
Pomifer autumnus sua munera mittit abunde
Castaneasq;, nucesq;, pyra, & prædulcia poma
Vsq; adeo reditu lætantur cuncta salubri.

Finis carminis congratulatorij.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

REVERENDO D. NICOLAO OLAH PATRONO SVO.

Relligio, & comem deiecta modestia uultum,
Ambabusq; illis rite soror Sophia.
Certabant, litemq; diu prouexerat ira,
Quæ mage te ornasset dotibus egregijs.
Nam dea quæ sancto cultui est præfecta deorum,
Adnixe instabat te esse suum penitus.
Econtra repetebat te sapientia totum,
Quæ Iouis e summo uertice nata dea est.
Nec cedebat hijs ueneranda modestia diuis,
Quin sibi te totum protinus assereret.
Hæc procul exaudit, gressumq; celerrima tendit,
Virtutum præses maxima iustitia.
Heus nolite, inquit, mecum certare minores,
Hunc ego Nicoleon uendico iure mihi.

De C. Vrsino Velio præceptore suo.

Vrsino patria est septem subiecta trioni,
Hic ubi Calistus lumina clara nitent.
Vrsino dedit ursa suum memorabile nomen,
Quæ nunq̃ occiduis stella lauatur aquis.
Anne igitur, dubium est, Vrsini fama perennis?
Altricem terram iactet? an illa magis,
Vrsinum priscis paret obiectare poëtis?
Vrsinus patriæ debet, & illa sibi.

Euangelium paschale ex Matthæo in uersus, ad D. IOANNEM Fabrum constrictum.

Festa propinquarant indictaq; sabbata, cum iam,
Treis Mariæ quarum pulcherrima Magdalene,
Ibant unguentis beneolentibus ungere Christum,
Non aurora suos dum pulchra ostenderat ortus,
Sed nebulis fumabat adhuc pluuialibus æther.
Extemplo intonuit cœlum, & desedit hiatu,
Terra graui, quoniam cœlo demissus ab alto,
Improuisus adest genius, cui candida uestis,
Ex humeris demissa iacet, lanugine mal e,
Pubescunt primum, & roseo decus enitet ore.
Ille mouere loco manibus conatur utrisq;,
Saxum immane super Ioseph quod uoluerat hostiũ.
Ioseph qui fuit æqui obseruantissimus unus,
Inter Iudæos, uitioq; remotus ab omni.
Vt lapis impulsus fuit, en delabitur ultro,
Præcipiti cursu, dedit alta ruina fragorem,
Atq; graui circum somno uinoq; solutos,
Excussit uiridante thoro, & florentibus herbis.
Attamen hæ sensim per gramina roscida serpunt,
Iam pauidæ, placidoq; uiam sermone leuantes,
Si quis ait sese nunc offerat, una, sepulchri,
Qui super impositum magno molimine saxum,
Hic deuoluat humi nobis faciatq; uiam ui,
Vix ea dicta dabat, cum uasta rupe sepulchrum,
Incipit apparere procul, reuolutaq; moles.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Adcurrunt alacrès dominum inſpectare, ſed ecce,
Egregium forma iuuenem, & fulgentibus alis,
Conſpiciunt, liquidum qui forte per aera lapſu,
Miſſus erat, ſurrexe dei omnipotentis Ieſum,
Vt caneret gnatum, quærentibns ingruit horror.
Protinus his, tremuloq; labant iam genua pauore,
Tum genius prior occupat has, ac talia fatur,
Soluite nunc quæcunq; metum non amplius hic eſt,
Chriſtus quem cupitis cognomine Nazarenus,
Hinc ſurrexit, abiit, uos præuolet in Galilæam,
Fatidici ut quondam nobis cecinere prophetæ,
Viſuræ Chriſtum celeres huc tendite greſſus,
Atq; alijs etiam (ſi quis non norit alumnum)
Dicite, certa loquor, non ante uidebitis illum.
Finis Euangelij

DE Sereniſ. Do. MARIA REGINA.

Quod tam ſæua gerit Regina uiriliter arma,
Debebat dici Martia non Maria.
At quod agit uitam tam ſancte, tamq; pudenter,
Conuenit hoc rurſus nomen ei merito.

R.Do. THOMAE EPISCOPO AGRIEN.

Cana Fides iterum cœlo delapſa, diu anceps,
Conſtitit, in quodnam uerteret hoſpitium.
Nanq; uerebatur ne pulſa, fugacibus alis,
Aut quid paſsa mali, ceu prius, aſtra petat.
Talia uoluenti hæc potior ſententia uiſa eſt,
Vt Thomæ pectus tuta petat ſapidum.

AD PVDICISSIMAM Dominam MAGDALENAM Thurſonis Coniugem.

Pallada cum ſuperes, Venerem, caſtamq; Dianam,
Ingenio, forma, dote, pudicitia.
Nacta uirum merito es tandem uirtutibus hisdem,
Pollentem, ac tibi ſicundiq; conſimilem.
Vt pietate Aeneam uincat, Nirea forma,
Et pylium pulchris Neſtora conſilijs.

D. FRANSCISCO DE BATHYAN.

Nobilis Alcides nodoſæ robore clauæ,
Atq; Ithacus ſuaui nobilis eloquio eſt.
Sic etiam uiuit Nelidæ fama perennis,
Quod dederat graijs optima conſilia
At merito hos omnes ſuperat Franciſcus honore,
Namq; ea ſunt illis ſingula, trina ſibi.

MAGNIFICO D. Thomæ Nadaſtino.

Te quoq; Nadaſtine meis intexere chartis,
Eſt pudor, at contra præterijſse nefas.
Nam quis enim tantum ſibi ſumat? ut ire per omnem
Factorum ſeriem poſſit ubiq; tuam.
At quis te contra cœlo non laudibus æquet?
Cum tua fama uolet multa per ora uirum.

DE GEORGIO LOGO POETA.

Ante Iouem ſolio ſubnixum ſtabat eburno,
Suffuſus lachrymis lumina Mercurius.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Quæ ſit cauſa, rogat, ſubiti pater ipſe doloris,
Rettulit ablatum hic eſſe ſibi eloquium.
Qui potuit fieri hoc, iterum ingens Iupiter inquit,
Quisue ſibi tanti conſcius eſt ſceleris?
Tum Logius: quidam iuuenis qui matre Thalia,
Natus in arctois dicitur eſſe Quadis,
Dum ſtudiis operam Romana per oppida ſumit,
Adnixus ſummi uiribus ingenij,
Abſtulit heu male cauto, & quæ multo acrior eſt res,
Nunc quoq; de noſtro nomine nomen habet.

AD Io. ALEX. Braſs. Iureconſ. Fratrem Elegeia.

Præteriere dies aliquot dulciſsime frater,
Ex quo nulla mihi litera miſſa tua eſt.
Quæ ſit cauſa latet, mihi cur nil ſcripſeris unq̃,
Effluxiſſe tuo me arbitror ex animo.
An ſatis id cauſæ duxti? cur nil mihi ſcribas,
Promiſſam quod non reddo pecuniolam.
Sic ſane credo eſt, quis enim non crederet iſtud?
Atq; animo, atq; anima frater amabilior.
Quare ſi me amas mihi ſcribe, negotia nulla,
Quo minus id poſsis te prohibere queunt.
Scire uelim quid agant nunc garrula turba ſophiſtæ,
Ecquis adhuc cepta te uetet ire uia
Nil indoctius his, nihil eſt indoctius illis
Verumetiam magis hij ſtipite ſunt ſtupidi.
Quod ſi nondum ceu ranæ poſuere querelam
Quas alit immunda ſpurca Seriphus aqua.
Suſtine, fors aliquam feret hæc patientia laudem
Nanq; illud non eſt turpe, magis miſerum eſt.
Viue, uale, mihi chare magis mi frater ocellis
Siue quid ambobus charius eſt oculis.

G. VERNERO SILESIO.

O mihi fratre magis, proprijsq; adamate propinquis
Quin etiam uita dulcior, atq; anima.
Inceptam per amicitiam mellite Georgi,
Oro uelis ſanctum hoc fœdus amicitiæ.
Nam ſimul inceptum, nunq̃ deſiſtere amare,
Syncere potui ſemper, & ex animo.
Tu uero me fac ut ames Vernere uiciſsim
Incepto quoniam laus in amore mori eſt.

D. MATHIAE Aucto Medico Thurſonis.

Anne tuum nomen noſtris intexere chartis,
Auſim, quando iſtud dicere uix ualeam.
Anne tuum nomen uano memorare poetæ,
Conueniat, quem non magnus Apollo fouet.
Id potius ſtudeant uenturo tradere ſæclo,
(Nobile par uatum) Velius, atq; Logus.
Verum quando alijs poſt ſcripta inſignis Homeri.
Eſt locus, hic etiam ſit modo, quæſo, mihi.

ANTONIO MELAE.

Mane domo egrediens ſibi cum ueſtigia Cæſar,
Obuia tollentem uiderat Aethiopa.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Illuxisse diem ratus hunc sibi protinus atrum est,
Nec fuerat certe candidus iste dies.
Quid mihi quod monachũ uidi intus, et in cute nigrũ
Ominis eueniet, dulcis amice, hodie?

AMBROSIO CYTHAROEDO

Threitius quondam blanda testudine uates,
Sylueſtres, fertur, detinuisse feras.
Ambrosius plectris, homines, fidibusq; moratur,
Dum ferit arguta carmina culta lyra.
Quanto igitur præstant homines animalibus hirtis,
Tanto alium uincit nobilis Ambrosius.

IN POETAM VXORIVM.

Arma uirum cecinit liber, nunc horrida uates,
Bella gerit postq̃ nupta puella sibi est.

IN INVIDVM.

Cum cruce suffixum uidisset in editiore,
Furem alium Diophon inuidia perijt.

IN CRVDELEM LVDIMAGISTRVM.

Ex uero crudele tibi cognomen adhæret,
Plagoso nanq; es sæuior Orbilio.

AD HELIVM EOBANVM HESSVM, POETAM ODE LYRICA.

Quod despicatis undiq; literis,
Pulsisq;, nullus sit locus aptior,
Florente Nornberga, tuum sic,
Ingenium patefecit Heli.

Omnes ut arctis conueniant scholis,
Germaniæ, quotquot fluuij procul,
Rhenus bico[illegible] seu Ister ingens,
Alluuie pop[illegible] undant.
Tu namq; pe[illegible]m facis unicus,
Parnassi ut al[illegible] lumina nomine,
Vincat tuo, dux magne uatum
Atq; Eobane chori puden tis.
Te complic[illegible]tis te manibus simul,
Pegnesides nymphæ uenerantur, &
Fronti tue nectunt coronam,
Floribus, atq; uirente lauru.
Pegnesus ipse udum caput exerit,
Et ni resistant fata adamantina,
Vsq; ad caput uellet fluenta,
Nunc reuocare, tibiq; soli:
Perlabier leni agmine noricos,
Agros, & urbis culta noualia,
Sparsim irrigando peruagari, &
Ruris amœna uireta, gestit.
Quin herbidi uult margine littoris,
Quas tu capellas rupibus arduis,
Romana tandem compulisti, ad
Pascua, Mintiadæ cicuta.
Bene auspicatis pascere floribus,
Pellucidiq; aspergine fluminis,
Dealbar[illegible] seu Clitumnuus umber,
Abluit eg[illegible]egios iuuencos.

FINIS.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

A M.N.MUZEUM KÖNYV-TÁRA

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library